

P. VERGILI MARONIS

- quantum lenta solent inter uiburna cupressi. 25  
M. Et quae tanta fuit Romam tibi causa uidendi?  
T. Libertas, quae sera tamen respexit inertem,  
candidior postquam tondenti barba cadebat,  
respexit tamen et longo post tempore uenit,  
postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit. 30  
namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,  
nec spes libertatis erat nec cura peculi.  
quamuis multa meis exiret uictima saeptis,  
pinguis et ingratae premeretur caseus urbi, 34  
non umquam grauis aere domum mihi dextra redibat.  
M. Mirabar quid maesta deos, Amarylli, uocares,  
cui pendere sua patereris in arbore poma;  
Tityrus hinc aberat. ipsae te, Tityre, pinus,  
ipsi te fontes, ipsa haec arbusta uocabant.  
T. Quid facerem? neque seruitio me exire licebat 40  
nec tam praesentis alibi cognoscere diuos.  
hic illum uidi iuuenem, Meliboee, quotannis  
bis senos cui nostra dies altaria fumant.  
hic mihi responsum primus dedit ille petenti:  
'pascite ut ante boues, pueri; summittite tauros.' 45  
M. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt  
et tibi magna satis, quamuis lapis omnia nudus  
limosoque palus obducat pascua iunco:  
non insueta grauis temptabunt pabula fetas,  
nec mala uicini pecoris contagia laedent. 50  
fortunate senex, hic inter flumina nota  
et fontis sacros frigus captabis opacum;  
hinc tibi, quae semper, uicino ab limite saepes  
Hyblaeis apibus florem depasta salicti  
saepe leui somnum suadebit inire susurro; 55  
hinc alta sub rupe canet frondator ad auras,  
nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes  
nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.